UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fulvii Androtii Societ: Iesv Theologi Opuscula spiritualia

Androzzi, Fulvio

Coloniæ, 1611

Quod etiam Sancti peccatum veniale æstimârunt valdè nociuum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-48641

Visual Library

tentiam fortaſſis hoc factum eſſet, grauiter dolet, & quamprimum ſe emendat, rogatq; veniam, & non hoc ſolùm contenta eſt, ne offendat; ſed quærit omnem occaſionem ipſi in omnibus gratificandi, etiamſi eſſet aliquo modo moleſtum. Similiter facit bonus & fidelis ſeruus Patrono ſuo; & obediēs filius patri; ſic etiam vidua quę verè amat Deum, non tantùm, in re magna; ſed in minima quoque timet eum offendere, & ſi forſan ex inconſideratione aliquid accidit, vehementer dolet, veniā deprecatur; & procurat ſemper omni ſtudio atque ſollicitudine, vt poſſit illi etiam ad nutum ſeruire, etiamſi hoc & voluptati & ſenſualitati ſuæ maximè repugnaret.

Quod etiam Sancti peccatum veniale æſtimârunt valdè nociuum.

Sufficiat vnum exemplum de S. Ioanne Baptiſtâ, qui iuuenculus petijt deſertum vt cantat S. Mater Eccleſia:

Antra deſerti teneris ſub annis,
Ciuium turmas fugiens petiſti
Nè leui ſaltem maculare vitam
Famine poſſes.

D. Pau-

D. PAVLVS dicit; non faciamus mala vt veniant bona; Item alibi, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum ſcandalizem; multò igitur minùs commiſiſſet peccatum veniale.

S. Gregorius dicit, quòd non ſit peccatum tam exiguum, quin neglectum, fiat magnum, ſicut qualiſcunque inimicus, ſi negligatur, aliquando poteſt multùm nocere.

S. Hieronymus quoque ait: Quod ſi peccata venialia non curemus, quia videntur exigua & nullius momenti, curare tamē oportet propterea quòd ſint multa, & diſponant ad mortale.

Item dicit: ſi paruipenditur, quia paruum & exiguum videtur; multùm & valdè curandum eſt, quia qui illud prohibet, Deus magnus eſt, qui exiget rationem in die iudicij etiam de omni verbo otioſo; Et in Euang. dicitur; Qui infidelis eſt in minimo, infidelis erit & in maximo.

S. Bernardus in quodam ſermone, quem habuit de cōuerſ. S. Pauli, incredibiliter exaggerat grauitatem peccati venialis.

Henricus Harpheus aſſerit; Quod ſi aliquis non habeat propoſitum, abſti-

nendi à peccato veniali, nunquam illius conſequetur remiſſionem, quamuis etiam ſæpius confiteatur.

S. Catharina Seneſis affirmat; Quod Deo ſuprà modum diſpliceat, culpa ſæpius iterata & neglecta, quamuis minima, Doctor quidam Dicit: Quod, quẽadmodum mulier aliqua non ſtatim, ſed paulatim fit meretrix; ſic qui paruipendit peccatum veniale, paulatim fiet magnus peccator.

Sicut domus non ſtatim corruit; ſed paulatim, ſic & veſtis non vnica vice, ſed ſenſim conteritur ſeu conſumitur: Ita quoque per peccata venialia & minima pedetentim homo diſponitur ad lapſum in maiora & grauiora. Vnde Scriptura dicit: Qui nõ curat vel negligit parua, paulatim incidet in maiora.

Remedia aliquot contra peccatum veniale adhibenda.

Primum remedium eſt, Manè proponere ſibi, potiùs mori, quã illo die ſciẽter cõmittere aliquod peccatũ mortale, & ad hoc implorare diuinũ auxiliũ.

2. Tollere omnes occaſiones peccati venialis, hoc eſt, conuerſationem locorum, colloquiorum, & ſimiliũ pericula.